

### III.

## Die Kirchenvisitation in Horstmar am 10. September 1721.

Von  
Dr. P. Bahlmann.



Den Nachrichten, welche Dr. Fr. Darpe in Bd. 41<sup>1)</sup> dieser Zeitschrift über die Horstmarer Kirchen- und Schulverhältnisse mitgetheilt, können wir nach einem Concept, das im Anfange dieses Jahrhunderts mit der Büchersammlung des Domdechanten Franz Egon von Fürstenberg der Königl. Paulinischen Bibliothek in Münster<sup>2)</sup> überwiesen wurde, den Bericht über die Kirchenvisitation hinzufügen, welche der Domdechant Franz Ludolph Jodocus von Landsberg am 10. September 1721 in Horstmar vornahm. In dem zum Verlesen im Kapitel bestimmten Altenstück (Decreta Visitationis d. d. Jan. 1722) heißt es:

### 1. De Monstrantia.

Qandoquidem vitrum, cui sacra hostia imposita est, coronamento Monstrantiae non satis apte cohaeret, ac propterea pulveribus recipiendis patet, lunula etiam inhaerens vitro pro capienda sacra hostia non satis ampla est, mandamus, prout alias in ipsa visitatione ordinavimus, ut D. Decanus adhibito ad hoc viro illius

<sup>1)</sup> Pag. 131—136.

<sup>2)</sup> Bibl. Fuerstenb. Nr. 3904. — In Ständers Handschriften-Katalog nicht verzeichnet.

artis perito, illud emendandum curet erga congruam mercedem, quae desumi poterit ex divenditis donariis Monstrantiae appensis.

## **2. De Tabernaculo.**

Habeatur in aliquo loco clauso clavis communis singulis Canonicis ad aperiendum Tabernaculum, quando danda est benedictio aut distribuenda sacra communio, ne sacerdos datus benedictionem et fideles communicatur cum impatientia cogantur exspectare, donec clavis a Decano absente petatur et afferatur.

## **3. De Reliquiis Sanctorum.**

Sanctorum Reliquias esse venerandas docet vos professio fidei, quam emisistis, dum ad Canonicatus et Praebendas admissi estis, quam igitur excusationem afferetis, quod Reliquias sacras ecclesiae vestrae tam male custoditas, tam abjecto loco relictas, hactenus quasi contemptim tractastis: ut hic defectus corrigatur, severe praeeipimus, ut eas decenter involutas sericeae telae, elegantibus capsulis in eum finem affabre factis deinceps asservetis, et fidelium venerationi ac devotioni certis anni temporibus exponatis.

## **4. De altaribus eorumque paramentis.**

Sancta sancte tractanda sunt: quare diligenter invigilet Rector Ecclesiae, ut altaria eorumque paramenta semper sint munda et nitida eaque per Custodem post officium divinum quotidie a pulveribus mundari faciat et certis temporibus mutari et renovari curet. Eadem multo magis servanda sunt circa vestes ministrantium ad altare et circa utensilia maxime quae immediatius deserviunt tremendo Missae sacrificio, ut sunt corporalia et purificatoria, quae saepius mutari et renovari oportet.

Stupendum est quod D. Decanus et Canonici celebraverint in altari laterali, de cuius consecratione nullum exstat vestigium; quocirca, uti in visitatione mandavimus, sic nunc praesenti decreto in virtute s. obedientiae districte praecipimus, ut deinceps adhibeant portatile, donec altare consecratum fuerit.

Postremum altare laterale, quia nulli usui est et obest decori Ecclesiae, amoveri permittimus et ejus titulum transferri ad altare S. Crucis itidem laterale; lapides tamen consecrati destructi altaris in usus profanos adhiberi prohibemus, prout de jure prohibitum est.

Quia in solennioribus Missis adhibetur incensum coram Venerabili eumque in finem in Ecclesia adsunt duo thuribula, unum argenteum sine navicula, alterum cupreum cum navicula, jubemus pro argenteo fieri naviculam argenteam pretio desumpto ex donariis appensis ad statuam B. M. V. dolorosae.

Cum unum aut alterum missale solum deservire possit in Missae sacrificio, reliqua autem sint lacera et prope destructa, mandamus nova emi, vel saltem antiqua restaurari praecipue quoad canonem Missae, orationes et collectas necessarias.

## 5. De Venerabili.

Non parum nos aedificavit, quando tempore visitationis vidimus, sacrum Viaticum ad infirmum a sacerdote sub umbella deferri comitante Clero et longo ordine populo: hanc igitur devotionem erga Sanctissimum, quantum in nobis est, promovere cupientes, Confraternitatem de Venerabili Sacramento optaremus institui, ut qui huic Confraternitati adscripti sunt, alacriores se ostendant ad comitatum tam praecelso Sacramento praestandum.

## **6. De Fonte baptismali.**

Quia notatum est, quod operculum fontis baptismalis laxis hiat rimis et stragula superimposita vetustate attrita pulveres ab aqua Baptismatis non satis defendit, volumus ex pecunia ad fabricam spectante novam stragulam comparari et insterni. Salem etiam benedictum in mundo vasculo, quod claudi possit et aperiri, decernimus asservari.

## **7. De Sacristia.**

Nimia cautela non nocet, hinc fenestrae quae ad Sacristiam sunt, et facili negotio perfringi possunt, clathris ferreis bene muniantur, ne sero aliquando sapere discatis.

## **8. De Fabrica Ecclesiae.**

Cum columnae exterius Ecclesiae adhaerentes ruanam minentur et tectum sit pluvius et ventis pervium, ea reparari mandamus ef terram, quae prope Sacristiam est elevatior, quantum necesse est, removeri.

## **9. De Coemiterio.**

Septa Coemiterii melius conserventur et, si opus est, reparentur, ne bestiis pateat. Ossuario, quod est in Coemiterio, tectum imponatur, ne eruta fidelium ossa contempta jaceant.

## **10. De Decano et Capitulo.**

Decanus cum Capitulo et Capitulum cum Decano pacem et concordiam conservare et si labefactata sit, prout — pro dolor! — fuit, redintegrare studeat, tollendo fomitem discordiarum, quem zelus indiscretus et immoderata quaedam authoritatis affectatio accedit et partium studia hinc inde in flamas erumpere fecerunt.

Cum lis et controversia<sup>1)</sup> agitur inter Decanum et Archidiaconum et Scholasticum, uter eorum ludimagiros et ludimagistras scholis praeficere debeat, praetendente Decano qua Archidiacono jus illud sibi competere, Scholasticus vero jus illud sibi vindicet tum ex documento erectionis Parochialis in Collegiatam, tum ex actu possessionis a Scholastico alias sine contradictione exercito, Nos, quibus nihil magis curae est, quam ut pax et concordia inter dissidentes restabiliatur, illud medium pro amicabili compositione conveniens arbitramur, ut Scholasticus scholas vacantes personis idoneis conferat, Decanus vero ut Archidiaconus eas instituat; sic enim utriusque parti jus aliquod tribuimus, Scholastico conferendi, Archidiacono instituendi.

Singulis saltem mensibus semel habeatur Capitulum, in quo tractetur de rebus ad cultum divinum et Ecclesiae Dei decorem pertinentibus, de redditibus Praebendarum, de administratione eorundem, ac de aliis rebus conservationem totius Capituli concernentibus.

Si a Capitularibus petatur convocari Capitulum extraordinarie, praesumat Decanus illos habere justam causam petendi, adeoque convocet Capitulum, ut causa ibidem proponatur et per majora suffragia determinetur. an causa sit discutienda nec ne.

Deliberet primo quoque tempore Capitulum, qua ratione fieri possit, ut cloaca, quae est juxta domum Custodis, aliaeque sordes removeantur, quia certe pudendum est, circa talem locum in processionibus per coemiterium deferri a sacerdote Sanctissimum.

Inquirant diligenter Decanus et Capitulares an capitale fundationis factae a D. Borgmanno Krebs<sup>2)</sup> et acceptatae a capitulo ac plurium annorum quoad

<sup>1)</sup> Darpe l. c. p. 134. — <sup>2)</sup> Ibid. l. c. p. 133 f.

solutionem pensionum consuetudine roboratae, super qua fundatione in hypothecam assignata est mola quae-dam in districtu Bentheimiensi, adhuc sit salvum et integrum, et an ex eo pensiones adhuc percipientur, aut vero per transactionem sit extinctum: Deinde urgeant solutionem pensionis adhuc restantis, quam D. Borgmannus, quoad vixerit, ex bonis suis promisit praestandam et a multis annis praestitit.

Acta Capitularia temere non divulgentur et quantum opus est in librum ad id praeparatum per designatum ad illud munus fideliter referantur. Habeant etiam Statutorum et consuetudinum suae Ecclesiae librum separatum a libro Fundationum, in quo, quae statuta sunt in Capitulis, quae consuetudines sint in usu, diligenter annotetur.

Registrum quoque accuratum omnium Fundacionum bonorum mobilium et immobilium ad Ecclesiam quomodolibet pertinentium fieri current, et si quae ex hujusmodi bonis perperam alienata sint recuperare studeant; id enim exigit juramentum, quo Ecclesiae obstricti sunt.

Studiose current ut anniversaria, memoriae aliaeque obligationes passivae exacte adimpleantur, unde habeant tabellam, in qua haec disserte notentur, ut quisque sciat obligationem suam eique satisfacere allaboret.

Cum Decanus et Capitulares singuli habeant commodas curias excepto D. canonico Nünning<sup>1)</sup>, cuius curia prope collapsa est, provideant, qua ratione huic malo obviandum sit. Si superessent redditus ex ipsius praebenda ultra deservitum, illi qnot annis asservari debent pro reparatione suo tempore facienda, ne demum tota collabatur.

<sup>1)</sup> Heinrich Ignaz R. (Bruder des westfäl. Geschichtsschreibers Jod. Herm. Nünning) war 1699—1731 Kanonikus in Horstmar, später in Breden.